



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. Quænam sit regula instrumentalis & secundaria bonitatis &
malitiæ moralis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

conueniens naturæ rationali, quàm conueniens esse rationi, cum ideo res sit conueniens rationi, quia est conueniens naturæ rationali, non contra: quamuis ex eo quod aliquid sit conforme rationi, rectè inferatur esse conueniens rationali naturæ, ideo enim ratio est recta quia dicat conuenire naturæ rationali, id quod illi reuera conuenit.

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Resp. quod quoties aliquis operatur ex conscientia erronea inuincibili, natura quidem rationalis eodem modo se habet, sed obiectum & actus alio modo ad illam comparantur, ut nuper dicebam, nihil enim est bonum aut malum, nisi quod tale iudicatur unde tamen non sequitur, quod iudicium rationis sit regula boni & mali, sed conditio duntaxat, sine qua nullum est bonum aut malum. Ad argumentum igitur nego primam hanc maiorem, illa non est regula moralitatis quæ inuariatā manente variatur aut tollitur moralitas. Nam ut maneat eadem moralitas, non sufficit quod eadem maneat regula, sed requiritur ut maneat idem obiectum huius regulæ, variabitur enim moralitas, si varietur vel obiectum regulæ, vel ipsa regula: Cum quis operatur ex conscientia erronea inuincibili, manet eadem natura rationalis, sed variatur ipsum obiectum quia id quod antea erat ipsi malum, iam incipit esse illi bonum, si apprehendatur esse bonum, bonum enim naturæ rationalis est illud omne quod prudenter iudicatur tale.

Solutio
quartæ.

Ad quartam Resp. Conueniens dupliciter posse sumi, primò enim significat id quod est alicui commodum. Secundò, id quod per se decet, & est consentaneum inclinationi naturali, sicut dicitur incarnatio esse conueniens Deo, non quia sit ipsi commoda, sed quia est consentanea inclinationi summæ bonitatis. Unde ad argumentum distinguitur hæc maior, id quod amatur tanquam conueniens, id est ex eo quod sit commodum, & afferat aliquam utilitatem aut delectationem, amatur amore concupiscentiæ, concedo: Id quod amatur tanquam conueniens, id est consentaneum inclinationi abstrahendo ab utilitate, vel delectatione, amatur amore concupiscentiæ, nego. Quod amatur ut honestum, amatur tanquam conueniens posteriori hoc modo, non autem tanquam conueniens primo modo.

SECTIO II.

Quenam sit regula instrumentalis & secundaria bonitatis & malitiæ moralis.

Necessitas
regulæ
proximæ.

PRæter primariam illam & principalem regulam totius moralitatis, sæpe dixi necessarium esse aliquod instrumentum per quod illa voluntati proponatur, alioqui esset necesse ut in incognitum ferretur voluntas, ideoque regula illa ministerialis non potest esse aliud quàm iudicium rationis, quam communiter dicimus conscientiam: de illa ut dicam distinctè, videnda sunt tria, primò quid sit recta ratio increata, & lex æterna. Secundò, quid sit recta ratio creata, & lex naturalis quæ cum conscientia magnam habent affinitatem. Tertiò, demum quid sit propriè conscientia & quortplex.

S. I.

Quid sit recta ratio increata, & lex æterna.

NON hæc agitur de recta ratione speculatiua, quæ non aliud est, quàm cognitio diuina conformis obiecto cognito, & nullo modo tendens ad opus, sed de recta ratione practica quæ dirigit voluntatem diuinam, & voluntatem creatam operantem moraliter, habetque aliquando rationem legis, quia dirigit imperando, aliquando non est vera lex, quia non dirigit voluntatem nisi dictando, quid sit conueniens.

Difficultas igitur est circa existentiam, quid dicat, proprietates æternæ legis, utrum scilicet detur in intellectu aut voluntate Dei actus aliquis, qui sit lex æterna, qualis ille sit, & respectu cuius dicatur lex.

Ratio autem dubitandi est primò, quia tunc recta ratio diuina rationem legis non habet quando nemini quidquam iubet aut vetat, sed ab æterno nemini quidquam præcepit, cum nemo esset cui posset præcipere. Deinde nihil habet rationem legis nisi promulgetur, sed ab æterno promulgari nulla lex potuit, ergo non fuit ab æterno nisi recta ratio diuina, quæ in tempore cepit esse lex, postquam fuerunt creaturæ quas obligare, sicut ab æterno fuit omnipotentia quamuis illa solum in tempore fuerit creans.

Secundò, lex illa æterna si datur vel est actus liber voluntatis diuinæ, vel certè illum supponit, & est aliquid Deo liberum: hoc autem absurdum est, quia sic lex naturalis potuisset non esse, & Deus posset in ea dispensare, potuissetque fieri ut mendacium esset licitum, imò Ethnicus qui nescit Scripturas dubitare posset, utrum ea lex esset à Deo lata, & sic licitè posset mentiri.

Tertiò, lex illa æterna non potest esse actus voluntatis diuinæ, quia definitur recta ratio, neque dici potest actus intellectus diuini, vel enim esset actus scientiæ simplicis, vel scientiæ visionis, non primò, quia scientia simplex præcedit decretum voluntatis, & ita non est lex quæ supponit semper voluntatem superioris: neque secundum, quia sic esset scientia merè speculatiua, nec dirigeret voluntatem. Deinde idèd tenemur facere aliquid quia Deus vult nos facere, ergo actus voluntatis diuinæ lex est non actus intellectus; non enim teneor aliquid facere quia Deus cognoscit, sed quia Deus vult, unde ait Anselmus *Magistrum humanæ voluntatis esse voluntatem diuinam*. Idèd solemne illud est in iure, *quod Principi placuit, legis vigorem habet*. Denique lex ordinatio est, illa non est actus intellectus cum sit actus Iurisdictionis, ergo lex non est actus intellectus.

Dico primò, recta ratio diuina non est aliud quàm actus intellectus diuini, quo per scientiam simplicem ante omne voluntatis decretum cognoscit fines omnes, & media quæ possunt conuenire, vel disconuenire, omni naturæ rationali.

Ratio est, quia omnes actus voluntatis diuinæ dirigitur per iudicium aliquod intellectus diuini quod est recta ratio, illud iudicium necessariò antecedit omnes actus voluntatis, ergo recta ratio est actus antecedens omnem actum voluntatis: primus enim actus voluntatis diuinæ rectissimus est, ergo illum dirigit actus aliquis intellectus quem nullus actus voluntatis præcedit. Deinde recta ratio diuina proptèr dirigit voluntatem diuinam non habet rationem legis, quia Deus non est superior se ipso, ergo non necessariò sequitur decretum voluntatis.

Dices recta ratio practica est dictamen practicum, quo Deus cognoscit aliquid sibi esse faciendum, vel omittendum, sed iudicium præcedens decretum voluntatis non dicit aliquid esse faciendum, sed tantum esse factibile, ergo iudicium illud antecedens decretum non est recta ratio practica.

Respondeo duplicem esse posse sensum horum verborum (hoc est mihi faciendum) vel enim significat, ego decreui hoc facere, quia decet, vel decet hoc à me fieri, si primo sumatur modo, certum est quod supponit voluntatis decretum: si autem secundo sumatur modo recta ratio prior est omni decreto voluntatis diuinæ.

Dico secundò, datur lex aliqua æterna, vera & propria existens in ipso Deo quæ nec est formaliter actus voluntatis diuinæ, neque actus ille intellectus

Triplet
dubitatio.

Recta ratio
diuina
quid sit.

Conclusio
trimestris.

tellectus qui est prior omni decreto libero, sed est actus ille intellectus qui supponit decretum voluntatis & illud cognoscit intimatque quid velit Deus fieri vel omitri à creaturis rationalibus.

Existencia aeterna legis. Prima pars asserens existentiam aeternae illius legis in Deo probatur à S. Thoma q. 91. art. 1. & questione 93 tota, & sanè probatione vix eget cum naturali lumine notum sit dari principem eam legem, & ultimam mentem omnia ratione iubentis aut vetantis Dei, ut loquitur Tullius l. 2. de legibus, fulque legem eam exponit Plato in Timaeo, & dialogo 10. de legibus. Probari autem primò potest, quia lex omnis participata cuiusmodi est omnis creata lex fundatur necessario in lege per essentiam, quae non potest esse nisi aeterna, ergo datur lex aeterna. Deinde Deus perfectissimam habet providentiam per quam creaturas rationales omnes in proprium deducit finem beatitudinis, sed hoc non efficit nisi mediâ lege, quae prohibet actus malos qui avertunt à fine iubet autem bonos qui conducunt ad finem, ergo datur vniuersalissima lex à Deo lata, & scripta intra ipsum Deum. Denique si nullâ Dei lege vetarentur ea quae mala sunt, nulla in peccatis esset offensa Dei, sed sola malitia moralis, peccatum enim non offendit Deum nisi quia eius legi repugnat.

Quid non sit. Secunda pars explicat quid non sit lex illa aeterna: Primò enim negauit illam esse formaliter decretum diuinæ voluntatis, probaturque ex communi acceptione legis, quam appellant omnes, & definiunt, rationem, opinionem, veritatis operationem, rectam rationem in iubendo, & vetando: Augustinus sanè legem aeternam appellat, *summam rationem cui semper obtemperandum est, & incommutabilem veritatem, quae lex omnium artium recte dicitur, & ars omnipotentis Artificis*: S. Thom. loco citato vocat eam diuinæ mentis conceptum quatenus ordinatur ad gubernationem rerum ab eo progenitarum: Boetius perpetuam rationem, quae mundum gubernat. A priori ratio esse potest quia lex imperium est, quem esse actum intellectus non voluntatis constabit ex dicendis. Imò lex aeterna pars est aliqua Providentiae, quae spectat ad intellectum non ad voluntatem. Secundò, negabam aeternam hanc legem esse actum intellectus priorem decreto voluntatis diuinæ, ratio est, quia lex est actus potestatis, & iurisdictionis ac verum imperium, sed omnis actus iurisdictionis supponit voluntatem superioris; nemo enim imperat nisi volendo: ergo ille actus cognitionis diuinæ, quo dicitur, quid sit conueniens aut disconueniens naturæ rationali, est quidem recta ratio, & dictamen practicum, potestque tum ipsi Deo, tum creaturis ostendere id quod decet ab ipsis fieri vel omitri, sed rationem legis non habet, donec voluntas accedat iubentis Dei supremi Domini.

Quid sit. Tertia pars veram explicat quidditatem huius legis, est enim actus intellectus duplex, alter cognoscit quid sit conueniens, aut disconueniens naturæ rationali pertinetque ad scientiam simplicem, & est recta ratio, alter cognoscit decretum voluntatis intimatque illud creaturis, & appellatur etiam in nobis propriè imperium: prior quidem ille actus prior est decreto voluntatis & sic non est lex, sed est tamen etiam posterior propterea simul iungitur cum actu illo posteriori, & cum eo præsupponit voluntatem aliquid decernentem. Probat autem primò à pari, quia in nobis imperium actus est ille præsupponens voluntatem superioris, lex autem imperium est simul & recta ratio. Deinde nomen (legis) impositum est ad significandum signum illud quod voluntas superioris ostenditur, nam sicut lex externa est signum externum manifestatum huius voluntatis, sic lex in-

terna est signum illud internum à quo proximè oriri potest signum externum, idest actus ille intellectus Principis, quo cognoscit, & intimat suam voluntatem. Neque dicas esse promulgationem legis non autem legem, quia si posset innoscere creaturæ actus voluntatis diuinæ, teneretur illi obedire, quamuis non sequeretur vllus actus intellectus. Resp. enim actum illum, quem imperium vocabam, non esse promulgationem legis, quamuis sit promulgatio voluntatis diuinæ, quæ promulgatio voluntatis, lex est. Quod si posset decretum diuinæ voluntatis creaturæ innoscere absque vllò actu voluntatis sequente, obligaremur facere id quod sciremus velle Deum, sed nulla tamen daretur lex formalis sed fundamentalis duntaxat, quæ voluntas est superioris.

Proprietates aeternae legis. Dico tertio, proprietates aeternae legis commodè numerari possunt quatuor. Primò enim aeterna est, immutabilis & indispensabilis. Secundò primaria est & fundamentum ac origo legum omnium quæ ab ipsa oriuntur tanquam radij à sole. Tertio est vniuersalissima tum ratione personarum, tum ratione rerum, tum ratione actuum, tum ratione temporum, & locorum. Quarto est sanctissima, & iustissima. Quæ omnia ut vides longum esset persequi, sed indicare tamen inutile non erit.

Aeternitas eius legis. Prima ergo proprietas sit legis huius aeternitas, est enim coæua æterno Deo, scripta in eius mente non atramento, sed radijs sapientiæ increatæ, primum enim, ut dixi, est recta ratio & idea omnium eorum quæ conuenit fieri à natura rationali, deinde cognitio decreti voluntatis iubentis ut illud & illud ab ea fiat, hæc autem duo aeterna sunt, immutabilia indispensabilia. Deinde lex illa pars est Providentiæ cuius proprium est dirigere creaturas rationales in finem iubendo, vetando, illuminando, dando media necessaria, vnde patet quod providentia etiam prope spectat creaturas rationales, multò latius patet quàm lex quæ solum pars est Providentiæ.

Origo est omnium legum. Secunda proprietas legis huius est quòd sit idea, fundamentum, & principium, legum omnium tum ciuillium tum sacrarum, continet videlicet illa & fundat totum ius canonicum & ciuile, posituum & naturale, tamen propriè loquendo solum ius naturale habet fundamentum in illa aeterna lege, vnde sola lex naturalis non habuit opus nouo legislatore: alia verò leges tamen fundantur in recta ratione increata, in ea tamen non fundantur absolute sed tantum ex suppositione quod illæ à legislatoribus fuerint sanctae, alioqui obligassent antequam essent leges.

Vniuersalitas ratione personarum. Tertia proprietas legis huius est vniuersalitas. Primò tum ratione personarum quia nulla creatura rationalis est possibilis, quæ non illi subijciatur ubi primum habuerit existentiam, omnes enim comprehendit in quos legislator Deus habere potest iurisdictionem, eas igitur omnes obligat. Ipsum autem Deum non obligat, neque respectu Dei lex vocari potest, quia lex est actus superioritatis, & iurisdictionis, Deus autem non est superior se ipso, neque imperare sibi potest, ergo recta ratio diuina quæ cognoscit quid ipse facere decreuerit non potest vocari lex. Neque dicas Deus propterea non mentitur, quia scit quod mentiri est malum, ergo recta ratio præluet diuinæ Voluntati & est vera lex. Deinde si Deus postquam decreuit aliquid facere, illud non faceret operaretur inordinate, ergo voluntas Dei, etiam respectu Dei est vera lex. Adde quod dici solet quod Deus de lege ordinaria non potest aliqua facere, ergo Deus aliam sibi præscripsit legem. Respondeo verum quidem esse quod recta ratio diuina dirigit voluntatem Dei, sed dici tamen non potest lex defectu superioritatis, & distinctionis, recta enim ratio & voluntas in Deo

unum sunt. Si Deus postquam decreuit aliquid facere, illud non faceret, operaretur inordinatè, non tamen contra legem, sed faceret id quod implicat ex natura rei, haberet enim decreta contradictoria, & voluntatem mutabilem, inordinatio ergo illa non oriretur ex repugnàtia cum lege, sed ex intrinseca essentia naturæ diuinæ. Deinde creaturas irrationales lex aeterna non comprehendit, cum illæ capaces non sint præcepti. Vnde ordo existens in mente Dei quo dirigit omnia in suos fines lex non potest dici nisi metaphoricè, tamen si appellatur aliquando sic in scripturis, sicut subiectio creaturarum irrationalem ad Deum appellatur interdum obedientia, cum sit potius naturalis necessitas.

Ratione
rerum.

Deinde vniuersalis ista lex est ratione rerum quas præcipit, aut vetat, cadunt enim sub eam actus omnes qui à creatura rationali elici possunt, siue illi sint ita boni & excellentes ut non imperentur, sed tantum consulantur, quia illi omnes licet secundum substantiam neque præcipiantur, neque prohibeantur, modus tamen cum quo faciendi sunt, ex suppositione quod fiant semper præcipitur, nam actus indifferentes dirigi debent ad bonum finem, & opera supererogationis quasdam exigunt circumstantias sine quibus fieri non debent.

Denique vniuersalitas etiam legis huius extenditur ad omnes actus ad quos lex aliqua extendi potest, imperat enim, prohibet, permittit, penas sancit, præmia dispensat: neque temporibus finitur, in quibus obliget, cum nulla vnquam vetustate temporum abrogari queat. Neque locis clauditur extra quæ non vigeat, Valet enim vbique gentium in omnibus terris Iura dicere, & tribunal eius totus orbis est, imò tam latè patet quam ipse Deus.

Sanctitas.

Quarta denique legis huius proprietas Iustitia est & Sanctitas, *Lex enim Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis, Iustitia Domini recte lætificantes corda.* Quia videlicet lata est à Legislatore Sancto, scripta in essentia Dei sancta, in finem sanctissimum, imò totius sanctitatis matrix, exemplar, & principium.

Solutio
dubitatio-
num.

Ad primam Resp. legem illam formaliter sumptam æternam esse, quia omnia quæ formaliter constituunt illam ex parte Dei sunt æterna, etiam si nullus ab æterno fuerit à quo promulgaretur, vel quem illa obligaret, quia illa requiruntur tantum ex parte creaturarum quas lex illa obligat, non autem ex parte Dei, cuius actus cum sit immutabilis, potest ante promulgationem habere veram rationem legis, quod non possunt habere creatæ leges, quia creaturarum voluntas mutari potest.

Ad secundam Resp. legem æternam esse actum Dei omnino liberum, potuit videlicet Deus legem non ferre de Mendacio vitando, tunc autem Mendacium offensum Dei non fuisset sed malitiam habuisset moralem, atque ita illud nunquam esse potest licitum, etiam Ethnico, vel ignoranti Deum, vel nescienti legem hanc de vitando Mendacio fuisse à Deo latam.

Ad tertiam constat ex dictis legem istam spectare partim ad scientiam simplicem, partim ad scientiam visionis, scientia enim simplex solitariè sumpta præcedit decretum: sumpta verò simul cum cognitione decreti sequitur decretum. Scientia quoque visionis si sola sit, speculatiua est, si sumatur cum scientia illa simplici quæ dicitur quid sit faciendum, practica est, intimat enim decretum voluntatis. Deinde ad id quod additur, idèd teneor aliquid facere quia Deus vult me facere, distingui debet illud (idèd) si enim significet causam immediatè obligantem negari debet, si autem significet causam primariam mediatè ac fundamentaliter obligantem, debet concedi, sed ex eo sequitur voluntatem principis esse causam legis, sed non ipsam

legem, quæ tamen duæ sæpè confunduntur, quia totus legis vigor oritur ex ipsa voluntate Principis, quæ non est ordinatio, sed causa ordinationis.

S. II.

Quid sit recta Ratio creata, & lex naturalis.

Consideratà intra ipsum Deum recta ratione, ac primarià lege omnium legum fonte, non erit difficile conspiciere vtramque veluti transcriptam in creatura rationali, cuius in mente nunc inspicio veluti scriptam rationem rectam, & legem illam quæ dicitur naturalis veluti exempla magnæ illius rationis, & legis.

Ratio autem dubitandi primò est, quia recta ratio definitur à Philosopho 6. *Ethicorum cap. 2.* ea quæ conformis est appetitui recto, in hac autè definitione verus est circulus, quia rectus appetitus dicitur is qui conformis est rectæ rationi, seu qui appetit id quod est appetendum secundum rectam rationem, ergo definitis appetitum rectum per rationem, rectam, & rectam rationem definitis per appetitum rectum. Sed neque definiri potest recta ratio illa quæ iudicat bonum id quod est verè bonum, quia cum operamur ex conscientia inuincibiliter erronea, operamur ex recta ratione, quæ tamen iudicat bonum, id quod est verè malum.

Secundò, lex naturalis non potest esse ipsa recta ratio in actu secundo, sed est actus aliquis primus, alioqui si dormirent omnes homines, vel certè aliò traheretur eorum consideratio, nulla esset in mundo lex naturalis, hoc autem absurdum est, ergo lex illa naturalis non est iudicium rationis, sed natura rationalis idonea ex se ad sic iudicandum. Confirmatur quia, plures alioqui essent leges naturales, tot nimirum quot sunt in hominibus varia iudicia.

Tertiò, quædam actiones ita sunt ex sua natura intrinsecè malæ, ut non pendeant à iudicio rationis, vel à prohibitione, suas enim habent naturas, & essentias immutabiles, quæ non pendent ab extrinsecis vllis causis, v. gr. mentiri non idèd est malum quia est prohibitum, sed idèd est prohibitum, quia est malum, quemadmodum frigus ex sua natura est malum igni, non quia iudicatur malum.

Dico primò, recta ratio practica benè definitur Iudicium intellectus quo post diligentem inquisitionem proponitur aliquid ut conueniens aut disconueniens naturæ videnti discursu & libertate.

Ratio est, quia illa definitio conuenit omni conscientie etià erronea, modo illa sit inuincibilis, quia illa semper proponit aliquid ut conueniens aut disconueniens prudenter id est post sufficientem inquisitionem, alioqui non est recta ratio. Deinde nullus in ea definitione circulus committitur, aut infinitus progressus, quia cum dico rectam rationem: *Esse Iudicium quo proponitur aliquid ut conueniens naturæ rationali*, non idem est ac si dicas Iudicium quod iudicatur conueniens id quod iudicatur conueniens, quod vitiosum esset, sed recta ratio includit in sui definitione obiectum rectæ rationis, est enim Iudicium quo proponitur id quod ipsi obiectiue apparet conueniens post diligentem inquisitionem.

Dices, recta ratio non proponit semper id quod est reuerà conueniens, sed proponit id quod apparet & videtur conueniens, sed apparere ac videri conueniens est iudicari conueniens, ergo recta ratio illa est, quæ iudicat conueniens, id quod iudicat conueniens, sicque semper recta ratio includitur in definitione rectæ rationis, & cognoscit semper obiectum suum ut cognitum, reflectiturque supra se ipsam, quod vitiosum est.

Resp.

Triplicis
dubitatio.

Recta ratio
quid sit.

Resp. dixisse me quod in definitione rectæ rationis non includitur recta ratio formalis, sed recta ratio obiectiua, id est obiectum rectæ rationis: nego enim illam minorem, apparere ac videri conueniens, est iudicari conueniens, significat enim duntaxat, id quod obicitur iudicio rationis, nihil autem est incommodi definire rectam rationem in ordine ad obiectum suum.

Conclusio
de lege na-
turali.

Dico secundò, datur in creaturis rationalibus lex aliqua naturalis veram & propriam habens rationem legis, quæ nec est natura ipsa rationalis, neque omnino idem ac recta ratio, sed est iudicium illud rationis rectæ quo naturaliter cognoscuntur ea quæ à Deo prohibita sunt vt disconuenientia naturæ rationali, vel quæ sunt præcepta vt eidem naturæ conuenientia.

Eius exi-
stentia.

Prima pars asserens dari legem aliquam naturalem id est scriptam cum natura in mente hominis vt tabulâ, quâ cognoscit vnusquisque sine Legislatoris aut Doctoris villius voce, quod honestum est aut turpe, apud omnes est indubitata; colligitur enim aperte ex Romanorum 2. *Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, eius modi legem non habentes, ipsi sunt sibi lex ostendentes opus legis scriptum in cordibus suis*, quibus verbis legem naturalem aptissime describit. Deinde Patres frequentem illius mentionem faciunt Tertullianus lib. de Corona militis, in publico mundi est in naturalibus tabulis scripta lex ad quas prouocat Apostolus, quis enim nescit legem naturalem, & naturam legalem? constans est sempiterna est, & diffusa in omnes lex ista, quâ neque per senatum solui possunt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque erit alia Roma, alia Athenis, alia nunc, alia posthac. Facundus Harmianensis: *Lex vero naturalis* (inquit) *vna & tota in hominis mente desixa, multo fortior inuenitur, quam ea quæ habetur in literis*. Cassiodorus lib. de anima vocat lumen substantiale quod nobis inesse sentimus, quod respicit sine sole, & videt sine vilo extrinseco lumine. *Ite ipsi in vestra penetralia mentis, & intus incisos apices & scripta volumina mentis, inspicite, & natam vobiscum agnoscite legem*. A priori ratio est quia quædam intrinsecè mala sunt, etiam si nulla lege prohiberentur, sunt enim prohibita quia mala: quædam verò sunt mala, quia prohibita, ergo lege naturali quædam prohibentur non autem alia.

Quod verò illa veram habeat legis rationem, id est quod iudicet voluntatem alicuius superioris prohibentis & præcipientis contra Victoriam, Cordubam & Almainum, probatur quia, omne peccatum repugnat legi, & iustè à Deo punitur, *Vbi enim non est lex nec prauaricatio*, vnde Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, *Neque peccatum erit, (inquit) si quod erit, si non diuinitus inbeatur vt non sit*, sed quod est contra legem naturalem, est verè peccatum, & iustè punitur à Deo ergo lex naturalis est vera lex, quæ non tantùm iudicat quid sit bonum, sed etiam quod sit vitandum.

Natura
rationalis
non est lex
naturalis.

Secunda pars explicat quid non sit lex naturalis, Primò enim quod non sit natura ipsa rationalis contra Vasquem disp. 150. cap. 3. Probatur quia sequeretur Deum æquè habere impositam sibi legem naturalem, sicut eam habent homines, Dei enim naturæ mendacium æquè repugnat, ac naturæ humanæ. Deinde nulla esse lex potest quæ non sit Præceptum superioris, non potest autem natura rationalis dici Præceptum superioris, Deus enim author non diceretur illius legis, quamuis esset author existentie hominum, quia lex naturæ non indicaret Deum vt præcipientem aut prohibentem. Denique licet natura rationalis sit primaria regula, (vt dixi) totius moralitatis; non est tamen propterea lex naturalis, quia regula est id quod dirigit, lex autem illud est, quod præcipit nomine, superioris, potest natura rationalis dirigere voluntatem suam, sed non potest sibi præcipere vt superior,

Secundò, recta ratio sumpta secundum totam suam latitudinem non est lex naturalis quia recta ratio vt sic cognoscit duntaxat quod aliquid bonum sit aut malum naturæ rationali, lex autem iudicat quid sit bonum, vt præceptum à superiore, quid malum vt ab eo prohibitum.

Non recta
ratio latif-
simè sum-
pta.

Tertia pars explicat quid sit lex naturalis, est enim vel ipsamet recta ratio creata prout intimans legem æternam: vel melius est ipsa lex æterna prout intimata, & promulgata per rectam rationem creatam, adeò vt sit veluti transcriptio æternæ legis in nobis: Probatur qui scriptura legem illam appellat *Signatum super nos lumen vultus Dei*, radius videlicet quidam est Iudicij practici diuini, & legis illius quæ scripta est intra ipsum Deum, in quo videmus ea quæ Deus videt esse conuenientia, & quæ fieri vult à nobis. Idem significant sæpè Patres Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 11. legem hanc appellat: *Lumen persona Dei*, quasi dicat illam esse cognitionem illam eandem, quæ in Deo est præcipientem aliquid aut veritate: Augustinus quæst. 53. ex 83. *Ex hac* (inquit) *ineffabili atque sublimi rerum administratione quæ fit per diuinam providentiam transcripta est lex naturalis in animum rationalem*. Vnde S. Thomas quæst. 91. art. 2. legem naturalem definit *participationem legis æternæ animum rationalem*, appellatque postea illam *impressionem diuini luminis*, quæ sine dubio nihil aliud esse potest quàm vis naturalis cognoscendi, quid sit bonum tanquam conueniens naturæ rationali & à Deo præceptum, & contra quid malum tanquam à Deo veritum. Sicut ergo considerari lex humana potest prout fertur à superiore, & prout scripta est in tabulis quæ non sunt duæ leges, sed vna lex, sic lex naturalis prout à Deo ipso lata est illa æterna lex de qua dixi: prout autem scripta & promulgata, est ipsa cognitio creata quam ex innata vi sua format ratio, dictans aliquid esse à Deo præceptum, aut veritum. Coalescit ergo lex naturalis ex increata lege & creata cognitione illius legis, quæ non sunt leges duæ, sed omnino vnica, vnde nec diuersas obligationes inuehant; loquitur enim lex æterna per rationem naturalem, & legem æternam ratio naturalis promulgat. Sed neque lex naturalis obligat vt aliæ leges, quæ non sunt nisi externa principia, lex verò ista interna est, docens absque extrinseco lumine, vt dixi, nec exarata est in literis sed in mente sculpta, quam internus semper dictat imperator, nimirum vis innata rationis.

Quid sit
lex natura-
lis.

Ad primam constat ex prima conclusione rectam rationem sic definiri, vt nullus in eius definitione committatur circulus: recta enim ratio non dicitur cognitio conuenientie cognitæ, sed cognitio proponens prudenter aliquid vt verè conueniens, quamuis non sit necesse vt illud reuerà sit conueniens sed factis sit vt menti obiciatur tanquam conueniens. Cum ergo dicis, recta ratio vel proponit vt conueniens id quod est verè conueniens, vel quod iudicat conueniens, distingui debet, recta ratio proponit aliquid vt conueniens quod iudicatur, prout formaliter iudicatur, nego; prout obiectiue iudicatur, concedo; proponit enim vt bonum, id quod est obiectum Iudicij sui.

Solutio
trium du-
bicationum.

Ad secundam Resp. legem naturalem in actu primo esse vim discursiuam, & ipsum hominis intellectum: legem autem naturalem actuale esse iudicium illud rationis quod dictat ea quæ Deus prohibet aut præcipit. Dum homines dormiunt aut distrahuntur, datur lex naturalis in actu primo non in actu secundo, ista quoque in quolibet homine multiplex est, illa verò vna.

Ad tertiam Resp. actus malos prout mali sunt moraliter non pendere à iudicio rationis, & prohibitione, sed

fed propt sunt offensa Dei pendere omnino à prohibitione Dei vt ex dictis patet. Dices non apparere igitur quomodo ius naturale differat à iure positiuo diuino, cum vtrumque pendeat à libero præcepto Dei. Resp. differre quia, quæ verantur iure positiuo nullo modo sunt mala, & disconuenientia naturæ rationali, si non prohibeantur: quæ autem verantur iure naturali, quamuis non prohibeantur semper tamen moraliter erunt mala idè dicuntur à Deo esse prohibita quia sunt mala moraliter.

§. III.

Quid & quotuplex sit Conscientia.

Propter hanc dictum hætenus est de recta ratione, ac lege naturali, quia recta ratio quatenus æternam legem in publico promulgat lex est naturalis, quatenus autem vnicuique priuatim dicitur in rebus singulis, quid sit agendum aut omittendū dicitur conscientia. Difficultas est enim quid propriè illa sit, vtrum sit in intellectu per modum actus secundi vt docet S. Thomas 1. p. q. 79. art. 13. an verò per modum habitus permanentis vt existimat Scotus qui eam confundit cum synderesi, & habitu Prudentiæ. Durandus putat illam esse aliquid habituale partim in intellectu partim in voluntate: Aureolus illam vtriusque potentiæ actum esse.

Variorum
Sententia.

Triplex
dubitatio.

Ratio dubit. primò est quia, si conscientia esset actuale iudicium nunquam posset homo agere contra conscientiam, nunquam enim potest agere contra omne iudicium practicum, quod habet aliqui amaret vt bonum, quod non iudicat nisi malum vel simul iudicaret aliquid esse bonum, & malum.

Secundò, proprium est conscientia remordere, arguere, cruciare, quæ non pertinent ad solum intellectum, remorsus enim tristitia est.

Tertiò, absurdum videtur dicere quod nulla in dormientibus est conscientia: imò si conscientia est actus, ille ingenerat necessariò habitum, est autem difficile dicere qualis habitus ille sit.

Conclusio.

Dico primò, conscientia propriè dicta in solo intellectu residet, neque aliquid est habituale, sed actus quo ratio dicitur quid sit agendum aut fugiendum in aliquo casu particulari.

Est in solo
intellectu.

Prima pars contra Durandum & Aureolum docet in solo intellectu esse conscientiam, non autem in intellectu simul & voluntate vt illi volunt. Probat autem primum ex Apostolo Roman. 2. vbi ait *conscientiam testimonium reddere* quod sine dubio intellectus est proprium, & c. 1. appellat eam fidem *omne quod non ex fide peccatum est*. Deinde idem colligitur ex Patribus Origenes l. 2. in Epistolam ad Romanos conscientiam appellat *naturalem correctorem, & pedagogum animæ*: Tertullianus c. 6. de corona militis *naturales tabulas ad quas promocat Apostolus, in quibus ille qui deliquit, legit opus suum indeque suffunditur*. Basilius in Prouerbia *naturale indicatorium animæ*. Damascenus l. 2. c. 12. *legem intellectus nostri*, quod eleganter explicat Victor Cartennensis l. de pœnitentia, *conscientia apud quam non moritur omne quod gerimus, nos in factis nostris accusat, & iudicat, cumque non habeat loquendi usum nescit tamen tenere silentium*: Dorotheus doctrina de conscientia dicit *eam esse in homine velut internum solem*. Eleganter Bernardus l. de interiori domo c. 22. *conscientia est cordis scientia*, quæ dupliciter intelligitur, videlicet vel illa quæ se nouit per se, vel illa quæ præter se, alia etiam nouit ex se, cor & se nouit sua conscientia, & multa alia. Quando nouit se, appellatur conscientia, quando nouit alia, vocatur scientia. Denique probatur de nomine ipso *Conscientia* ac ex muneribus eius proprijs testificatur enim, docet, accusat, diri-

git voluntatem quæ omnia spectant ad intellectum.

Secunda pars contra Scotum negat illam esse actum aliquem primum, sed iudicium actuale, probatur quia conscientia dicitur vera, falsa, dubia, quod solius actus secundi est proprium, non autem habitus; deinde solum actuale iudicium proponit voluntati quæ bona vel mala sunt, & solum illud etiam eam dirigit, conscientia verò vtrumque hoc præstat, ergo est actus secundus.

Conscientia igitur est actualis quædam scientia rerum faciendarum aut non faciendarum siue vt ex S. Thoma rectè notat Valentia q. 14. p. 4. significat iudicium quod de actibus nostris habemus, spectat autem illos primò vt præteritos, actus videlicet ille quo speculatiuè cognoscimus quid egerimus, aut non egerimus, sic enim Genes. 43. dicunt fratres Ioseph *non est in conscientia nostra quis posuerit pecuniam in marsupijs nostris* & 2. ad Corinth. 1. *hæc est gloria nostra testimonium conscientia nostra*. Secundò indicat actus eisdem præteritos vtrum boni vel mali sint, sic enim dicitur conscientia redarguere, accusare, remordere, Sapient 17. *præoccupant pessima redarguente conscientia*. Tertiò spectat eisdem actus vt præteritos aut futuros iudicatque practicè quid sit faciendum, vel omittendum propter honestatem aut turpitudinem, & hæc est quæ vocatur propriè conscientia de qua loquimur. Denique conscientia dicitur in particulari quid sit honestum aut turpe hic & nunc, quia est iudicium rationis practicae per rationationem deductum ex Principijs vniuersalibus contentis in synderesi, sic enim appellatur habitus principiorum practitorum: nam sicut omnibus nobis naturaliter inest lumen Principiorum speculabilium, quem dicimus intellectum, sic inest etiam lumen Principiorum practitorum, quæ vocatur synderesis. Hæc enim principia regulæ sunt vniuersales, & per se notæ humanarum actionum, & quædam veluti lumina virtutum immutabilia, quod v. g. iuste viuere oporteat, conscientia verò est iudicium ex huiusmodi principijs deductum.

Dico secundò, rectè conscientia diuiditur in certam, erroneam, probabilem, dubiam, & scrupulosam.

Ratio est, quia iudicium dictans aliquid esse turpe aut honestum, potest esse vel certum, si proponat absque formidine obiectum vt reuerà est in se honestum vel turpe: vel erroneum si proponat determinatè aliquid vt honestum aut turpe quod tale non sit: vel probabile si proponat obiectum honestum aut turpe adhærens determinatè vni parti, sed cum formidine tamen oppositæ partis: vel dubium, si neutri parti adhæreat, sed maneat velut in æquilibrio: vel scrupulosum si sit apprehensio ex leuibus orta coniecturis, quæ iudicium opinatiuum, aut etiam certum alterius partis opinatiue non excludat.

Ad primam Resp. idèd posse hominem agere contra conscientiam, quia quoties peccat duplex habet iudicium practicum, vnum quod proponit voluntati rationes æternas idest honestatem, aut turpitudinem; alterum quod proponit rationes inferiores delectabiles, aut utiles; primum illud conscientia est, cui aduersatur quoties mavult adhærere iudicio practico proponenti bonum sensibile quàm iudicio proponenti bonum honestum.

Ad secundam Resp. remordere propt pertinet ad ipsam conscientiam, esse actum intellectus quia illud nihil est aliud, quàm conscientiam representare voluntati actum malum commissum, ex qua representatione sequitur tristitia in voluntate, remorsus autem non est tristitia sed causa tristitiæ.

Ad tertiam Resp. nullam omnino esse in dormientibus conscientiam, sed tantum potentiã, potest autem

Est actus
le iudicij.

Varia eius
mutua.

Quotuplex
illa sit.

Solutio
dubitatio
num.

tem dici quod conscientia prodit potius ab habitu innato, quam ab aliquo habitu acquisito: dixi verò illum esse synderesim, id est habitum quo naturaliter cognoscimus prima Principia practica: illi autem habitus quos conscientia producere potest, diuersi sunt pro varietate actuum in quibus consistit.

QVÆSTIO II.

De influxu conscientie in bonitatem & malitiam Actuum humanorum.

Explicatâ vtrâque regulâ quoad existentiam, & quidditatem, sequitur vt dicam de influxu illius in omnes humanos actus, id est quomodo illos reddat bonos aut malos, non potest autem esse difficultas de Regula principali, quæ per se ipsam non concurret vlllo modo; sed solum de instrumentali, & secundaria quæ alteram illam applicat, & proponit, & est (vt dixi) iudicium conscientie quæ sine dubio influit in omnem moralitatem, vel manifestando malitiam aut bonitatem actus, vel obligando ad operandum, vel permittendo operationem: 1. Spectat ad conscientiam in genere: 2. Ad conscientiam certam aut erroneam: 3. Ad conscientiam probabilem aut dubiam: quibus addendum aliquid est de conscientia scrupulosa.

SECTIO I.

Virum ad omnem Actum bonum aut malum requiratur necessariò Iudicium aliquod Conscientie.

Tunc requiratur influxus aliquis, & iudicium conscientie ad omnem actum bonum & malum, si nullus esse possit actus moraliter bonus, cui adiunctum non sit iudicium dictans illum esse bonum & honestum, nullus malus cui adiunctum non sit iudicium dictans illum esse malum.

Triplex
dubitatio.

Ratio autem dubitandi est primò, quia multa sæpè committuntur peccata ex inconsideratione, obliuione, ignorantia vincibili, tunc nullum est iudicium dictans illos actus esse bonos aut malos; sufficit enim vt aliquis voluntariè se applicet ad opus sine vlllo iudicio malitie, ergo sine vlllo influxu conscientie possunt esse actus boni vel mali. Maior nota est, quia tùm in Scripturis tùm ab omnibus Patribus peccata ignorantia damnantur præfertim autem ab Augustino, qui omnem iuris ignorantiam sæpè damnat, quamuis ignorantia facti à peccato excusetur, & possit esse inuincibilis: prior autem ignorantia non excusatur, quia teneris scire illud ius.

Secundò multi sæpè peccant sine conscientie remorsu, vt sæpè testatur Scriptura, vel propter peccandi consuetudinem, propter quam excæcati, obstinati, obdurati sunt: vel propter stuporem mentis, sicut multi sæpè rustici, qui discernere rationes illas æternas omnino nesciunt, neque illas vnquam considerant: vel denique propter Passionem quâ rapiuntur, & præoccupantur.

Tertiò, si obiectum intrinsecè ac essentialiter malum sit, specificabit voluntatem, & efficiet illam malam quamuis absit cognitio.

Prima
regula.

Dico primò, in materia conscientie prima & indubitata regula est, quòd nullus vnquam actus potest esse bonus, aut malus nisi conscientia, & ratio superior cognoscat & dictet illum esse bonum, aut malum, vel certè periculofum. Ita vnanimiter docent primùm Ethnici omnes Philosophi cum Aristotele, 2. *Ethico- rum, cap. 4.* quos lumen ipsum naturæ docet, ita etiam Catholici omnes Theologi cum S. Thoma quos ratio, authoritas Patrum, & Scripturæ conuincit nihil esse honestum, aut turpe sine cognitione honestatis aut

Tom. I.

turpitudinis: vt meritò rideas nouos dogmatistas qui fingunt ignorantiam (vt aiunt) iuris non excusare à peccato, contra quos.

Ratio S. Thom. *art. 3.* clara est & conuincens, quia ex naturæ lumine notum est neminem benè aut malè agere nisi velit, quod Augustinus lib. de duabus animabus c. 11. ait: *A Pastoribus cantari in montibus, à Poëtis in theatris, ab indoctis in circulis, à Doctis in Bibliothecis, à Magistris in scholis, à Pontificibus in Templis, à genere humano, in Orbe terrarum:* Sed bonum, & malum voluntaria esse nequeunt si non cognoscantur, voluntas enim non fertur in incognitum, & hæc ratio est ob quam neque pueris, neque amentibus, neque brutis animantibus vllum tribui potest peccatum, quia scilicet notitiam non habent honestatis aut turpitudinis, ergo ad omnem actum bonum aut malum requiritur cognitio bonitatis & malitie. Sed hoc ostendetur postea plenius cum probabitur per ignorantiam inuincibilem excusari peccatum, quia per illam tollitur voluntarium.

Secunda
regula.

Dico secundò, altera in materia conscientie regula est vt aliquis actus moraliter bonus & honestus sit, requiritur iudiciū practice moraliter certū: vt sit malus sufficit cognitio dubia, vel suspicio quædā illius.

Antequam probetur, pars vtrâque regulæ obseruandum est conscientiam dupliciter esse posse certam. Primò speculatiuè, secundò practice: speculatiuè certa est illa cui non potest subesse falsum: practice certa illa, cui falsum quidem potest subesse, sed communis tamen in eo est adhibita diligentia, qualem vulgò in negotiis adhibent sapientes. Vnde rectè notant Corduba lib. 3. *qq. quæst. 5.* Sanches lib. 2. de *Matrimonio disp. 41. num. 8.* sæpè contingere vt conscientia practice vera sit & speculatiuè falsa & contra, verbi gratiâ, possum iudicare quod Pauperi qui apparet extremè indigens dari ex obligatione debeat Eleemosyna, quod est practice verum, speculatiuè autem falsum. Sic enim omnis conscientia inuincibiliter erronea, speculatiuè solum erronea est, practice autem ac simpliciter est vera, cum solum iudicium speculatiuè antecedens sit falsum. Similiter speculatiuè potest esse dubia conscientia quæ practice certa erit & contra, vt cum quis dubius est, vtrum emiserit votum, certò tamen iudicat sibi esse licitum illud non implere. Denique rectè stare potest cum iudicio speculatiuè certo, de aliqua veritate, iudicium oppositum etiam certum, vt cum quis iudicans audiendam sibi esse Missam in die festo, iudicat tamen se propter infirmitatem non obligari: quæ tamen iudicia non sunt propriè opposita, quia vniuersale illud iudicium non includit casum in quo infirmus homo teneatur audire Sacrum; est autem in primis notandum quod iudicium speculatiuum non est illud quod sequi tenemur, sed iudicium practicum & particulare. His positis.

Conscien-
tia certa
speculatiuè
vel practi-
cè.

Prima pars regulæ manifesta est quia si requireretur ad honestatem actus iudicium speculatiue certum, cui subesse non possit falsum vix vllus vnquam rectè posset operari quia huiusmodi certitudo ferè semper est impossibilis: requiritur ergo ad honestam operationem iudicium practice certum ac moraliter, cui potest quidem subesse falsum, sed adhibita tamen est diligentia qualem communiter sapientes in suis negotiis adhibere solent; tenetur enim quilibet vitare peccandi periculum quantum potest, atqui si practice non sit certus se malè non operari, sed dubitet vtrum malè operetur an non, exponit se periculo malè operandi, ergo malè operatur. Nemo enim in suis negotiis operatur prudenter nisi moralem adhibeat diligentiam, ergo neque benè moraliter operari potest, nisi eandem adhibeat diligentiam.

Prima pars
regulæ.

S s

Secunda